Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

urbibus civibus que mala imminerent
predixit. Erat enim vir iste magne abstinen-
tie et probabilis vite. qui constrictus ad car-
nem catenis ferreis. induto desuper cilici-
o. solo pane in cibo cum paucis dactilis
utebatur. In diebus quadragesime radicibus
herbarum egipciarum quibus heremite utuntur.
exhibentibus sibi negociatoribus alebatur.
Per hunc dominus magnas virtutes operari
dignatus est. que scripta habentur in libris
venerabilis viri gregorii turonensis
episcopi. Igitur vir iste sanctus adventum longobardo-
rum in gallias hoc modo predixit. Veni-
ent inquit longobardi in gallias. et
devastabunt civitates vii. eo quod in-
creverit malicia eorum in conspectu domini.
Est enim omnis populus periurus deditus furtis
obnoxius. rapinis intentus. homicidiis
promptus in quibus non est iusticie fructus.
non decime dantur. non pauperes aluntur. non
tegitur nudus. non suscipitur hospicio per-
egrinus. ideo hec plaga venta est super
populum istum. Monachis quoque suis pre-
cipiens dixit. Abscedite vos a loco isto
auferentes vobiscum que habetis. ecce
gens appropinquat quam predixi. Dicenti-
bus autem illis non relinquemus te sanctissime
pater. ait nolite timere pro me. futurum
est enim ut inferant mihi iniurias. sed (al' discedentibus)
non nocebunt usque ad mortem. Desceden-
tibus autem monachis. advenit exercitus
longobardorum. Qui dum cuncta que re-
pererant vastabant. ad locum ubi vir
sanctus inclusus erat pervenerunt. At ille
per fenestram turris se illis ostendit. Illi
vero circumeuntes turrem. dum aditum
quererent per quem ad eum ingredi possent
et minime invenirent. duo ascendentes
tectum discoopuerunt illud. et videntes eum
cinctum catenis. indutumque cilicio dixerunt

Hic malefactor est. et homicidium fe-
cit. ideo in his ligaminibus vinctus tenetur.
vocatoque interprete sciscitantur ab eo quid
mali fecerit. ut tali supplicio arceretur.
At ille fatetur se homicidam esse. omnium-
que criminum reum. Tunc unus extracto
gladio ut caput eius amputaret. mox
dextera in ipso ictu suspensa diriguit. nec
eam ad se revocare potuit. quin relicto gla-
dio terre deiceret. Hec videntes socii eius
clamorem in celum dederunt. flagitantes
a sancto ut quid eis agendum esset clementer
insinuaret. Ipse vero imposito salutis
signo arentis brachium sanitati restitu-
it. Longobardus autem qui sanatus fuerat
ad fidem christi conversus est statim celitus.
deinde monachus effectus est. atque in eodem
loco usque ad finem vite sue in dei servi-
cio permansit. Beatus vero hospicius dum
longobardis dei verbum loqueretur. duo
duces qui eum venerabiliter audierunt
incolumes patrie redditi sunt. quidam vero
qui eius verba despexerant. in ipsa pro-
vincia mirabiliter perierunt. Passio A ii Kl Maij
Dux quidam Quirini tribu-
romanorum nomine ni martiris
Quirinus. habebat filiam
Gutturnosam nomine balbi-
nam. habebatque ipse dux
beatum alexandrum papam in carcere clau-
sum. ipsa vero puella pergebat sepissime
ad carcerem. ubi beatus alexander papa
catenis tenebatur ligatus. et deosculabatur
catenas quibus ipse sanctus ligatus erat.
scilicet ob gratiam recuperande sanitatis.
Cui beatus alexander dixit. Noli filia
mea osculari has catenas. sed quere boias
sancti petri quibus vinctus fuit. et osculare
illas. et inde recipies sanitatem. Que
mox ad patrem suum veniens. narravit